Illmi, Eruditissimique Viri

Mirum quantum me tenet cupido hujus celebratissimae Regalis Academiae, socium esse! Ast quô sequestro, quô interventore, quibusve id auserim auxiliis, diu haesitavi. Vicit tandem comitatis vestrae fama. Hinc quod exoptabam, praefidenter cernuus efflagito. Sane Academici Instituti Bononiae; Physico Bottanicae Florentiae; Bottanicae itidem et Historiae naturalis Cortonae; Physico Critici Senae; Regiae Acad. Med. Matriti; Naturae Curiosorum, et plurimarum aliarum Societatum, nomine fungor. Verum tunc voti me compotem fatear, quum de tanto concupito honore donari mihi datum erit. Ne interim immeritissime videar, id expetere, postremi Opusculorum meorum Exemplar, Epitome nempe, Medico-Clinicarum Institutionum, censurae vestrae exhibeo. Legibus igitur hujus proclamatae Societatis, me libentissimè adstringo; vestramque, Viri Clarissimi, humanitatem exoro, ut obscurissimum licet nomen meum, inter nobilissima Doctissimorum Sociorum Nomina locetis.

Neapoli VII. Idus Decembris 1779.

Humillimus Obsequentissimus Famulus
Alexander Catani

Cotani